

Christi, Rom. 3. d. 26. Illis non placet, quòd dixi nobis donari vitam æternam. At Christus eã se dare testatur, Iohan. 17. a. 2. Et teste Paulo, Rom. 5. d. 17, regnabũt in vita qui abũdantiã gratiæ & doni iustitiæ acceperũt. Quanquã hoc omnibus accidere necesse est, qui nunquam vel per somnium apprehenderũt quid sit iustitia, quid remissio peccatorum, quid gratia, quid denique vita æterna. Iustitia operum, integra est Legis observatio. Vbi reperietur? Quisquis in Legis observacione defecerit, maledictus est, ac reus æternæ mortis. Nemini itaque propitius est Deus, nisi cui gratuito remittit peccata. Secundũ hanc rationem, Paulus Legis & operum iustitiam fidei iustitiæ opponit. Quæ autem fidei iustitia? Nempe quæ in Christum recumbit, Rom. 10. g. 30: vt in ipso iustos esse nos alibi docet, 2. Corinth. 5. d. 21. Quid gratia? Nempe quæ miseriæ nostræ succurrit, vt seruemur non secundum opera iustitiæ quæ fecerimus, sed secundum Dei misericordiam, Tit. 3. b. 5. Vita æterna, hæreditas est filiorum, quam adoptione consequimur. Adoptio autem non nisi in Christo fundata est, Ephes. 1. a. 5.